

## De Plauti Asinaria.

---

Plautum poetam inter comoediarum scriptores Romanorum primum obtinere locum hodie plerique facile concedent. Sed quantum interest inter nimiam illam Weisii admirationem et nostrae aetatis judicium. Ille enim omnia, quae non poterant probari vel potius, quae ipsi displicebant, e poetae fabulis eiciebat atque adeo totas comoedias ab eo adjudicabat. Nos vero ex justiore atque accuratiore fabularum contemplatione justiorem atque accuratiorem Plauti artisque Plautinae repperimus imaginem. Atque revera non solum bonum Homerum, sed etiam comicum Romanum interdum dormire jam neminem negare arbitror. Multa sane menda emendata egregia illa Plautinarum fabularum editione, quam Ritschelio et ejus discipulis debemus, evanuerunt, multa vero ita demum apparuerunt. Atque etiamsi poetae omnia condonamus, quae retractatoribus, histrionibus, interpolatoribus, scribis denique tribui possunt, satis multa tamen in unaquaque fere fabularum restant, quae uni poetae ipsi adscribenda sunt. Quam rem post Epidicum, Poenulum, Rudentem, Curculionem aliis locis a me tractatas nova fabula percensenda jam spectemus. —

Inter fabulas Plautinas, quas nunc habemus, Asinariam non ita excellere non negaverim. Attamen in hac quoque fabula tractanda atque perscrutanda satis multa, quae ad dijudicandam artem poetae alicujus momenti sunt, inveniemus.

Quae fabula quamquam primo obtutu nobis simplex atque plana videtur esse, mox tamen, si argumentum atque singulos ejus actus majore diligentia studioque inspiciemus, non pauca offendemus, quae scrupulum nobis movere possunt.

Atque in hac quoque fabula tam simplici homines docti ansam nacti esse sibi visi sunt, qua fabulam contaminatam esse demonstrarent. Alii de interpolationibus ac de retractatione cogitaverunt. Quae quidem remedia non equidem omnino reicio neque recuso, sed praeterea ipsum Plautum, ut fere in ceteris fabulis omnibus, complura in se admisisse mea quidem sententia negari non potest.

Sed priusquam ad has disquisitiones accuratius accedamus, argumentum fabulae breviter exponendum est. Scena agitur Athenis, cf. v. 492 „Athenis“, 793 „Attica lingua“, qua in urbe Argyrippus, filius Demaeneti senatoris (cf. v. 871), qui antea mercatura se dederat atque bona sibi paraverat (cf. v. 135 „nam in mari repperi“ . . . scil. bona), visa Philaenio meretrice vitam suam prorsus statim commutavit. Cum matre lena, cui Cleaeretae nomen est, foedus componit (cf. v. 171 „dedi equidem quod mecum egisti“), solam amicam colit atque, quae possidet, ei matrique donat. Sed statim pecunia ita consumpta a Cleaereta extruditur et excluditur. Frustra matris mortem eis ostendit et, ut v. 529 audimus, se tunc amicam divitem facturum esse pollicetur. Lena adulescentem ex aedibus eicit atque filiam cum eo colloqui etiam vetat. Itaque cum amore atque dolore percitus de vita jam desperet, totam rem cum patre, Demaeneto sene, communicat. Is vero, quamquam non „patres ut consueverunt“ filii animum improbat, sed ad sui ipsius patris, Stratonis, exemplum filio obsequi atque succurrere cupit, ipse eum nullo modo potest adjuvare. Nam quidquid possederat, tam facili levique vita videtur jampridem dilapidavisse. Optimo, ut tunc temporis ei videbatur, remedio egestati suaee succurrit. Divitem uxorem duxit, „argentum accepi, dote imperium vendidi“ v. 87. Quamquam revera ne id quidem adeptus est. Uxor enim Artemona rem familiarem per dotalem servum, Sauream atriensem, curat neque ipsi marito, neque filio nimis indulget. cf. v. 78 „filium arte contenteque habet.“ Tamen benevole consolatur filium pater eique, quamquam, quomodo id fieri possit, prorsus ignorat, auxilium suum promittit. Neque vero deest adulescenti utilior adjutor, ut in ceteris comoediis, servum dico callidum. Immo duos hac in fabula habemus, Libanum et Leonidam. Hi servi jam pridem socii Argyrippi fuerant, cf. v. 270 „quando mecum pariter potant, pariter scortari solent.“

Itaque Demaenetus filium consolatus alterum servum, Libanum, e domo evocatum adulescenti statim viginti minas, quas Cleaeretae solvat, comparare jubet, sive uxore, sive atriensi defraudato. Suum ipse auxilium atque servis impunitatem promittit. Sed nihil reperit callidissimus ille servus. Sequitur difficilius esse matronam defraudare quam aliis in fabulis severos illos atque suspiciosos senes. Tum forte fortuna facilis servis obicitur praeda. Saurea enim ille, Artemonae atriensis, mercatori Pellaeo asinos Arcadicos viginti minis vendiderat. Pecuniam, quam non statim solverat, is per adulescentem quendam, cui Saurea notus non est, Athenas mittit. Is apud tonsorem, antequam mandatum effecit, in alterum servum, Leonidam incidit. Callidissime is oblata occasione usus se Sauream esse simulat, ut viginti illas minas, quas affert advena, quibus jam opus est Argyrippo, atriensis nomine accipiat. Sed unum obstat. Adulescens enim Pellaeus se ignoto homini pecuniam traditum esse negat. Sauream non novit, sed Demaenetum dominum. Itaque tantum hoc praesente atque jubente se pecuniam soluturum esse pronuntiat. Statim igitur servus se dominum arcessitum atque cum eo domi praesto futurum esse promittit. Itaque Leonidas mercatore interea in balnea progresso domum properat, ut domino, quid egerit, nuntiet. Neque vero primo hunc ipsum, sed Libanum et Argyrippum requirit atque servum revera ante domum modo a foro reversum

invenit. A quo senem etiam apud forum esse certior factus adventum mercatoris, suam fraudem aperit. Probato dolo, consilio habito, auxilio Libani promisso ad herum in forum contendit. Retinet advenientem Pellaicum atque oblectat Libanus et Sauream revera fuisse, quem ille apud tonsorem convenerit, affirmat. Jam redit Leonidas solus, postquam senem de fraude certiore fecit. Sed cum dominum non secum ducat, iterum frustra Pellaeo persuadere studet, ut pecuniam sibi absente Demaeneto solvat. Is iterum ac saepius se praesente tantum domino homini ignoto viginti illas minas traditurum esse asseverat. Denique post longiorem altercationem atque convicium servus advenam in forum ad Demaenetum perducit, ubi hoc praesente atque jubente pecuniam tandem nanciscitur Leonida. Qui triumphans domum reversus cum Libano ad Argyrippum jam est profecturus, cum adulescens una cum Philaenio e domo lenae flens atque lamentans prodit. Post multas ambages atque longiorem irrisiōnē amantium tradunt servi viginti illas minas sed ita, ut Argyrippus patri cenam et noctem Philaenii concedat. Jam intravit Demaenetus furtim domum Cleaeretae, quo nunc etiam adulescens cum amica laetis animis se conferunt, ut convivium celebrent. Sero advenit cum parasito suo Diabolus adulescens, rivalis Argyripi, syngrapho conscripto, in quo viginti minis sibi operam Philaenii per totum annum stipulatur. Conspecto is convivio se devictum esse dolens atque desperans per parasitum suum rem omnem Artemonae matronae nuntiat. Accurrit cum parasito matrona atque maritum severissimis verbis castigat, castigatum domum suam abducit. Remanent laetantes tali exitu Argyrippus et Philaenium.

En fabulae argumentum, turpissimum vitae illius aetatis exemplum. Qualis filius est, talis etiam pater et est et fuit, talem jam antea avum fuisse vv. 68 sqq. audimus. Sed jam spectemus, quomodo poeta has res per singulas scenas componuerit et distribuerit.

Prologus non est vere Plautinus, neque omnino quidquam ex eo praeter nomen atque auctorem Graecae comoediae lucramur. Initio fabulae prodeunt Demaenetus senex atque Libanus servus. Anxie hic e domino quaerit, quare e domo evocetur, quo ducatur. Nam conscientia scelerum et fraudum suarum sollicitus, ne in carcerem, in pistrinum deciatur, metuit. Etiam v. 51 postquam senex jam de reticentia servi, de filio se locuturum esse indicavit, Libanus timorem suum significat:

„ . . . . . Quid istuc novi est?“

„Demiror, quid sit, et quo evadat, sum in metu.“

Tum a sene confirmatus Argyrippo eo ipso die viginti minis opus esse cognoscit. Quam summam adjuvante altero servo Leonida adulescenti comparare jubetur. Auxilium suum ipse Demaenetus servis atque impunitatem pollicetur. Senex in forum ad Archibulum argentarium se contendere dicit, eodem servus eum antecedit.

Scena secunda Argyrippus vehementissimis conviciis ex aedibus Cleaeretae ejectus et lenam et filiam persequitur, sua in eas merita exponit, gravissimas minas addit. Jam scena tertia accedit Cleaereta ad adulescentem, querentem illudit, se defendit. Simulatque audivit non prorsus periisse Argyrippum, sed etiam superesse pecuniam, aliquantum se demittit

atque cum eo stipulatur filiam viginti minis solutis totum annum illius futuram esse. Argyrippus patris promissis atque auxilio neglectis — neque majorem in servis spem videtur collocare — ad forum se pergere dicit, ubi illam summam mutuo aut faenore sibi comparet.

Actus secundi scena prima Libanus a foro redit, ubi se in otio dormitasse dicit. Nihil adhuc invenit consilii, id tantum antea a domino monitus constituit Sauream atriensem esse defraudandum. Sed jam adest auxilium. Scena enim secunda occurrit Leonida, alter servus, optio Libani, qui deinde jam priores partes suscipit. Occasionem lepidissimam pecuniae domino comparandae oblatam esse nuntiat. Is quoque negotium atque inopiam Argyrippi nihil curans otiose in tonstrina sederat, cum adulescens Pellaeus intervenit Demaenetum et Sauream quaerens. Callidissimus servus statim perspecta occasione usus se ipsum Sauream illum atriensem esse simulat; sed ut nimis cauto advenae satisfaciat, cogitur polliceri se dominum Demaenetum adducturum et una cum eo domi praesto futurum esse, ubi pecuniam accipiat. Auxilium suum promittit Libanus et jam appropinquante Pellaeo ad Demaenetum in forum contendit Leonida. Advenam accipit Libanus et domum intrare prohibet. Personam Leonidae pro Saurea describit eumque revera ad tonsorem ivisse affirmat. Sine Demaeneto reversus Leonida denuo adjuvante Libano atriensem agit, sed mercator prudens nihilo minus, id quod promiserat servus, ipsum dominum adduci postulat. Post longam contentionem atque jurgium tandem Leonida mercatorem secum in forum ad dominum, quocum interea rem communicaverat, abducit.

Actus tertii scena prima Cleaereta filiam increpat, quod Argyrippum relinquere nolit; precantem et querentem domum intrare jubet. Ipsa certe sequitur filiam, sed post hunc versum non jam prodit in scenam, neque quidquam de ea postea audimus. Scena secunda Libanus Leonidae fraude perfecta arrepta pecunia gratulatur. Rebus secundis freti atque elati inter se per jocum illudunt atque altercantur. Tum Argyrippum cum amica e domo Cleaeretae exeuntem conspiciunt. Non obtemperaverat Philaenium matri, sed amatorem ab illa exclusum denuo domum receperat. Cleaereta autem eum domum ire jussit. Minatur adulescens se sibi manus illaturum esse, una cum eo lamentatur amica atque flens flentem complectitur. E composito tum servi dominum et amicam ejus illudunt, sed postremo condicione patris patefacta viginti illas minas adulescenti tradunt. Abeunt servi, Argyrippus cum Philaenio domum Cleaeretae intrant, ubi Demaenetum convenient, pecuniam lenae solvant, epulas celebrent. Ita dolus perpetratus, pecunia expugnata, amica adulescenti recuperata est. Jam id unum restat, ut senex improbus merita poena afficiatur.

Actus igitur quarti scena prima novae personae prodeunt: Diabolus adulescens, rivalis Argyrippi, cum parasito suo. Recitat is domino syngraphum, quem pro eo conscripsit, ut Philaenium per totum annum Diabolo soli operam suam navet, prorsus eodem modo, quo Argyrippum, si pecunia affuisset, acturum fuisse putabimus. Sed sero adveniunt illi et conspecto convivio irati statim recurrent. Totam rem Artemonae patefacere constituunt. Mirum

in modum parasitus, ne matrona magis amore meretricis atque odio rivalis id fieri existimet, Diaboli loco uxorem arcessit, ut Demaenetus ulciscatur.

Actus quinti scena prima convivium ipsum videmus, adulescentem non satis laetum illudit et simul consolatur pater. Scena secunda jam apparet Artemona cum Diaboli parasito atque, postquam per aliquod tempus ipsa nefarium facinus vidiit atque audivit, irrumpit, severo convicio effuso maritum domum abducit. Remanet victor et patris et aemuli Argyrippus quasi re bene gesta cum laeta amica. Jam in fine fabulae grex neque novum neque mirum accidisse jactat, unumquemque tam lepida occasione oblata idem facturum esse.

Haec omnia, si obiter tantum fabulam legimus, satis arte et apte inter se videntur cohaerere, excepto fortasse quarto actu, quamquam hic quoque in eis quae antecedunt, aliquo modo praeparatus et indicatus est. Qua de re infra diligentius dicendum est. Sed si accuratius singulas fabulae partes perscrutamur, plura atque graviora nobis apparebunt.

Ac primum quidem nostro jure quaeremus, quomodo prima scena, quae quidem, si solam spectamus, admodum placet, cum eis, quae aliis fabulae locis de condicione senis, adulescentis, servorum, comperimus, componi possit. Cur Libanus, cum a Demaeneto e domo educitur, timet, ne ad pistrinum deiciatur? Summo studio, summa gravitate, quamquam ne tunc quidem solitis jocis prorsus abstinet, dominum interrogat atque Demaeneto nihil etiam certi respondente v. 51 „quo evadat, sum in metu“ metum nondum esse deminutum prodit. Postquam autem senex suum animum ei ostendit, summa cum procacitate se dehinc neminem metuere, ne ipsum quidem dominum magni facere asseverat. Sequitur eum revera antea dominum metuisse, pistrinum revera animo praevidisse. Sed ad initium scenae redeamus. Quamvis anxie servus dominum interrogaverit, nihil responsi accepit. Immo statim mutantur partes, et qui modo interrogabatur, senex jam ex servo se quaesitum esse dicit. V. 44 „redde operam mihi,“ quasi ipse servo interroganti plane satisficerit, interrogat, sed ea tantum, quae ipse jam optime scit. Neque vero servum omnino quaerendi causa evocaverat, nam tandem, postquam animum suum servo ostendit, pecuniam, qua Argyrippo eo ipso die opus sit, confici et adulescenti tradi imperat, altero servo Leonida adjutore adscito. Tum Libanus v. 105 sq.

„ . . . . Si forte in insidias devenero“,

„Tun redimes me, si me hostes interceperint?“

auxilium domini atque impunitatem sibi stipulatur. Haeserunt viri docti in hac re, cum non pater, sed mater timenda sit, quid ita lucraturum fuisse servum judicandum sit. Sed id meo quidem judicio immerito fecerunt. Nam prorsus sufficere potest servo, si senex fraude patefacta coram uxore se jussisse profitebitur. Magis mirum est, quod Libanum hoc loco senis animum penitus ignorare videmus. Qui scrupulus etiam augetur, si alterum servum, Leonidam, antequam vv. 362—6 a Libano edoctus est, multo melius totam rem perspicere et jam pridem perspexisse animum advertimus. Nam disertis verbis is dicit v. 283:

„Suis eris . . . gnatoque et patri,“

„Adeo ut aetatem ambo ambobus nobis sint obnoxii.“

„Nostro devincti beneficio.“

et si cum Goetziana editione Niemeyeri accipimus conjecturam, v. 280: „Eros in obsidione linquet“ pro erum codicum, idem demonstrat. Neque ulla verbo, cum Demaeneto ad fraudem perpetrandam opus esse reputat, de ejus auxilio videtur dubitare. De Libano autem Leonidam jam v. 270: „Quando mecum pariter potant, pariter scortari solent,“

„Hanc quidem quam nanctus praedam pariter cum illis partiam.“

audivimus loqui, scilicet adulescentem cum servis artissima vitae consuetudine conjungi. Quae cum ita sint, vix videtur verisimile esse, quod alter servus sciatur, alterum nescire. Totum consilium jam invenit Leonidas, v. 352: „Dico med esse atrensem,“ v. 356: „Ego me dixi erum adducturum et me domi praesto fore.“ Quid igitur sibi vult v. 358 „Quid nunc consili captandum censes?“ Supervacanea atque inutilia sunt, quae sequuntur, verba Libani. Immo quae versu 360 sq. dicit:

· · · · · „nam si ille argentum prius“

„Hospes huc affert, continuo nos ambo exclusi sumus.“

veritati repugnant. Nam ut mittam, quod jam Langenus (cf. *Studia Plautina* pp. 101—3) monuit, tam longas ambages non in locum quadrare, quin etiam periculum augere, revera hospes advenit, affert argentum, sed servi nihilo minus eum decipiunt atque senis auxilio pecuniam eripiunt. Haec omnia nimis diu, nimis secure aguntur, quasi omnino verendum non sit, ne Artemona, ne Saurea, alii sive servi sive liberi homines interveniant. Sed per totas has duas scenas, secundam atque quartam dico actus secundi, meritis nugis atque ineptiis tempus terunt servi et soli et postea coram mercatore, quin etiam cum hoc, quem benevolum et propitium fieri summo opere intererat, rixari atque ei maledicere non verentur. Sed haec, ut similia in aliis comoediis comicae levitati, delectationi spectatorum condonanda sunt. Ac liceat hoc loco statim aliud ejusmodi exemplum ex ultima scena afferre, ubi neque animo Demaeneti neque toti rerum condicioni congruunt, quae legimus senis verba:

v. 935: „Non licet manere, cena coquitur, dum cenem modo?“

v. 939: „ · · · · · juben hinc abscedere?“

Quomodo vero novit Demaenetus jam prima scena primi actus filio viginti minis eo ipso die opus esse? Recte in hac re Mureti sagacitas gravem poetae errorem deprehendit. Nam ipse Argyrippus tertia demum ejusdem actus scena tot minas a lena postulari audit, cum initio per irrisiōnem etiam duo talenta poposcisset. Atque manifestum fit eam cum alio quoque de vendenda Philaenii opera agere, cum addat

v. 231: „Atque ea lege, si alius ad me prius attulerit, tu vale.“

Nomen vero aemuli Argyrippo non prodit, quamquam id ipsum amatorem etiam acrius incitaturum fuisse apparet. Atque revera adest aemulus Argyrippi, Diabolus adulescens. Sed de eo in tertia demum tertii actus scena Argyrippus per ipsam, ut videtur, Philaenium certior factus servis exponit:

v. 633: „Argenti viginti minae med ad mortem appulerunt.“  
 „Quas hodie adulescens Diabolus ipsi daturus dixit.“  
 „Ut hanc ne quoquam mitteret nisi ad se hunc annum totum.“

Frustra Geppertus alii hunc scrupulum removere sunt conati. Diabolus vero novit Argyrippum, novit Demaenetum, novit Artemonam. Mirum in modum parasitus adulescenti, ne ipse matronae scelus Demaeneti nuntiet, persuadet

v. 820: „Ego sic faciundum censeo: me honestiust“  
 „Quam te palam hanc rem facere, ne illa existumet“  
 „Amoris causa percitum id fecisse te“  
 „Magis quam sua causa.“

Quid id Artemonae interest, qua de causa res detegatur, qui vero Diabolum sua causa scelus viri patefacere sibi persuadebit? Commonet me hic locus alterius, de quo jam antea scripsoram; cf. „Miscellanea philologa“ p. 13. Epidici enim 274—288 eodem modo de causis sive veris sive fictis agendi dubitatio movetur.

Reditus autem adulescentis ad Philaenium nullo modo dubitationem movere potest. Nam postquam is vv. 233 sqq. Cleaeretae se non omnino jam periisse, sed habere etiam, unde viginti illas minas, quas poposcerit, pro annua amicae opera ei det, dixit; vv. 245 sqq. se ad forum iturum esse, ut hanc pecuniam mutuo faenoreve sibi comparet, ille quidem pronuntiavit. Nam merito de patris auxilio, de servorum dolis, ut est res familiaris comparata, dubitat. Sed in foro nihil eum impetrasse et lenae III 1 filiam increpantis et ipsius adulescentis verba III 3 cum amica querentis atque lamentantis satis declarant. De servorum autem opera aliquid certe eum etiam tum sperasse v. 648 audimus: „ecquid est salutis?“ Sane cum servis eo die ipse nihil videtur egisse, sed patrem eos conventurum filiumque adjuvari imperaturum fuisse scit.

Quid vero mirum, quod Demaenetus non statim ab initio cenam et noctem Philaenii poposcerit, cum nondum, quid ipse opis in comparanda pecunia afferre possit, praeviderit. Sed ubi primum domini jussu pecunia mercatori erepta est, hanc condicionem una cum viginti illis minis per Leonidam ad filium perferendam curat. Neque in eo haerendum est, quod Diabolus pecuniam ab ipso Demaeneto ad amicam delatam esse opinatur. Nam auctor certe pecuniae solvendae revera fuit senex, neque tam brevi tempore Diabolus totam rem potest perspicere aut omnino, quomodo pecuniam nacti sint adversarii, indagare. Majorem autem Plauti levitatem in eo mihi video deprehendisse, quod IV 2 Diabolum vv. 812—815 omnia, quae demum actu quinto audimus, praeeoccupantem facit. Confer quaeso cum ejus verbis l. c. vv. 870—874 et 884—889. Non solum quae revera facta sunt, sed etiam quae futura erant, quae senex coram sola uxore dicere solebat, scit atque summa cum malevolentia interpretatur atque etiam auget.

Ejusdem praeeoccupationis exemplum, vel potius mirum consensum adulescentium scenis tertia actus primi et quarti actus prima inter se comparatis inveniemus. Nam quae

Diabolus parasitum suum conscribere jusserrat, sermone Argyrippi et Cleaeretae jam sunt indicata et partim quidem ad verbum expressa. Ita syngraphus v. 238 et 745, leges 234 et 746, perpetuom annum hunc 235 hunc annum totum v. 754, nec quemquam . . . alium 236 neque cum quiquam alio 754. Verba quoque matronae v. 871 „Eum etiam hominem aut in senatu dare operam aut clientibus“ aliquo modo respondent verbis Libani 599—600. Quod ad v. 405—6 attinet, quos etiam editio Goetziana mercatori tribuit, mea quidem sententia in hunc non quadrant. Etenim nimis arte eis respondent, quae Leonidas vv. 371—380 cum Libano egit et revera postea perficit. Mercatori autem nihil causae est, quod se vapulaturum esse divinet.

Restat etiam, ut de hac scena addam non intellegi posse, quid adulescens ille Pellaeus sibi velit. Cum puer ad Demaeneti aedes accedit, puerum Sauream evocare jubet. A Libano retentus atque oblectatus jam non Sauream atriensem, ut antea, sed ipsum Demaenatum requirit. Tum demum a Libano edoctus dominum non adesse atriensem quaerit. Sed haec fortasse possunt tolerari, quamquam non bene cum ea rerum condicione, quam exspectare debet advena, congruunt. Sed etiam cum Leonida, quem Sauream esse credit, supervenit, addit:

v. 452 „Sed si domist, Demaenatum volebam.“

Non quaerit, ubi sit dominus, non queritur, quod atriensis, quem putat esse, non steterit promisso, non adduxerit dominum. Neque Leonida rem excusat, immo, quasi nihil apud tonsorem inter eos convenerit, denuo mercatori persuadere studet, ut statim etiam absente Demaeneto pecuniam solvat.

Quod autem in exitu altercationis servorum et mercatoris Pellaei haeserunt viri docti, atque ut longior illorum reconciliatio expressis verbis exhibeat, requisiverunt, non recte ab iis judicari mihi est persuasum. Nam sic quoque satis, ne dicam nimis longa est scena, quae negotio tam necessario et praecipi moram affert. Ubi primum servi intellexerunt mercatorem nisi praesente Demaeneto pecuniam non soluturum esse, longiore altercatione nihil se jam lucrari posse animum advertunt. Intererat sane eorum summo opere illum non nimis exasperari, et si poeta scenam fraudis coram sene, quem etiam hospitem vehementer inclamavisse v. 582 audimus, perficienda addere nolebat, satis humane clementerque mercator certe sub finem colloquii se gerit atque eodem modo, quo in recensione „Studiorum Langeianorum“\*) Sauream i. e. Leonidam Sticho vicario a Libano commemorato leniri exposui, hoc quoque loco v. 488 sq. 491—493 mercatori satisfacere possunt, mercatoris autem assentationem v. 489 „scilicet ita res est.“ atque proverbiale illam sententiam v. 495 „lupus est homo homini, non homo, quom qualis sit, non novit.“ callidus servus, qui revera omnino non est serio iratus, ita accipere potest, ut jam respondeat:

\*) Hebdomadalia philologa Berolinensia. 1887. p. 1308.

v. 496 „Jam nunc secunda mihi facis, scibam huic te capitulo hodie“  
 „Facturum satis pro injuria.“

et quae sequuntur.

Neque vero e poetae verbis de rerum statu in Cleaeretae domo perspicuum imaginem nancisci possumus. Qualis enim nobis depingitur illius domus atque familia? V. 183 sqq. de pedissequa, de famulis, de ancillis audimus, v. 237 de servis sermo est, v. 804 de ancilla, v. 829 (qui quidem versus cum eo, qui sequitur, sine dubio eiciendus est) de pueris, v. 891 de puer. Videtur satis amplia et locuples domus, cum aliis locis egestas paupertasque efferatur. Atque unam quidem Philaenium quaestum facere v. 519 sq. audimus „sola ego in casteria ubi quiesco, omnis familiae causa consistit tibi.“ Neque magis sibi constat poeta in ejus consuetudine describenda. Etenim v. 170 „modo remisisti“ et „remittam“ invenimus, v. 171 „misi“, v. 190 „mittam“, v. 195 „alio ibit tamen“, v. 197 „mulier mitteretur ad te“, v. 635 „ut hanc ne quoquam mitterem nisi ad se.“ Sed v. 207 legimus „quom ad te veniebam“, v. 228 „remeato audacter“, v. 235 „neque quemquam alium interea admittat prorsus quam me ad se virum“, v. 756 „alienum hominem intromittat ad se neminem“, v. 526 „ultra ad te arcessi jubes“. Actus primi scena secunda adulescens e domo lenae ejectus est, v. 242 de patentibus aedibus lenoniis agitur. Abiit adulescens ad forum, sed inanis reversus denuo domum Cleaeretae intrat. Nam III 1 lenam in filiam invehentem et minantem videmus, quod Argyrippum denuo receperit, v. 532 addit: „ne ille ecastor hinc trudetur largus lacrumarum foras“. III 3 tamen Philaenium adulescentem e domo sua exeuntem retentare studet, v. 594 legimus „mater (scil. Cleaereta) domum ire jussit“, v. 596 „homo hercle hinc exlusust foras“, v. 632 „Hinc med amantem ex aedibus ejicit hujus mater.“ Ne poetae quidem ipsi perspicue rerum status ante oculos versatus videtur esse, neque vero ullo loco videmus Argyrippum propria in domo habitantem.

Addere liceat hoc loco ne extremo quidem actu satis luculenter apparere, quomodo senex in domum Cleaeretae pervenerit. Diabolus quidem eum ipsum pecuniam soluturum in domum lenae intravisse atque Philaenium sibi eripuisse opinatur. Quod falsum esse scimus. Nam Argyrippus demum pecuniam a servis acceptam attulit. Actu tertio servi fraude perfecta adulescentem cum amica e domo Cleaeretae exeuntem conveniunt, ubi etiam per totum actum secundum versatus erat. In eadem autem domo sub finem ejusdem scenae (III 3) a Leonida patrem jam filium manere docemur. Quem cum in foro reliquit statim pecunia tradita, ad convivium, quod stipulatus erat, contendisse declarat Leonidas. Namque arcessi patrem jubente Argyrippo servus v. 741 respondet: „jamdudumst intus.“ Atque negante adulescente: „hac quidem non venit.“ addit Leonida: „angiporto illac per hortum transiit clam, ne quis se videret huc ire familiarium.“ Sed hoc loco non curavit Plautus, quomodo in eadem domo versantes tamen non inter se conspicerint pater et filius cum amica. Itaque ne nobis quidem haec res erit curanda.

Leonidam autem ut supra vidimus rem a se excogitatam atque inventam conservo

subiectem atque inutili, ne dicam nullo omnino consilio habito aggredientem, item postea quoque laudes ac praemia cum eo communicat. Ita Libanus ipse v. 545 de „nostris sycophantiis“ praedicat, v. 556 dicit: „id virtute hujus collegae meaque comitate factumst,“ v. 580 Leonida: „edepol senem Demaenetum lepidum fuisse nobis.“ (cf. etiam v. 367 „ut nos acturi sumus.“) idem v. 731 „eloquamur,“ v. 732: „pater nōs ferre hoc jussit argentum ad ted,“ v. 734 „has tibi nos pactis legibus dare jussit.“ Atque respondet Argyrippus v. 733 „attulistis,“ v. 745: „benedicite.“ Mirabimur fortasse servos non ad convivium adhiberi, cum antea Leonidam viderimus gloriantem solere se cum Argyrippo et Libano pariter potare, pariter scortari. Attamen adulescens v. 745 eos valere jubet, solus cum amica ad patrem conveniendum domum Cleaeretae intrat.

Quae omnia si nobiscum reputaverimus et perpenderimus, poetam argumentum illud simplicissimum, quod justo comoediae modo vix sufficiebat, non felicissime illum quidem extendisse et dilatavisse judicabimus. Neque vero intellegere me confiteor, quid in hac fabula contaminationis suspicione admissa lucremur. Etenim quoquo modo nobis Graecum exemplar aut Graeca exemplaria conformabimus animo, nihil ad difficultates delendas nancissemur auxili. Quamquam Graecam Demophili fabulam satis mutatam esse a poeta Romano equidem non ausim negare. Quae res jam ipso titulo aliquo modo videtur indicari. Namque ὀντογός in Plautina fabula non reperitur, cum certe mercatorem Pellaicum illo nomine vix possimus significare. Neque qui soli aliquo tamen modo ad ejusmodi nominis mentionem possunt converti, vv. 589—90, ubi Leonida conservo dicit:

Le: „Nimis vellem habere perticam, — Lib: Quo rei? — Le: qui verberarem“  
„Asinos, si forte occiperint clamare hinc ex crumina.“

huic rei satis respondent. Neque Diaboli, neque Libani personas cum fabulae argumento plane et satis arte cohaerent. Sane ad detegendam fraudem coram Artemona tali persona, quem Argyrippi rivalem habemus, opus est, sed in eis, quae antecedunt, nimis raro, immo uno tantum loco v. 634, atque id quidem obiter atque frigidissime, commemoratur. Libani vero auxilio quanto opere opus fuerit, vidimus. Non hujus, sed unius Demaeneti ope pecunia Pellaeo adulescenti eripitur, neque quidquam ad rem ipsam et argumentum fabulae promovendum duplicato servorum numero in actu tertio efficitur. Si Demaenetus ipse filium et servum adjuvare noluisset nequivissetve, tum atque tum demum Libani operis atque officiis, qualia II, 2—4 videmus, locus erat. Quae quidem cum nihil ad defraudandum advenam efficiant, actionem tantum retineant et remorentr, solius spectatorum delectationis causa extra rem, ut ita dicam, a poeta addita sunt. Et revera si hos versus eiceremus, nimis brevis evaderet fabula. Itaque nec contaminationi nec retractationi ea adscribenda esse judico, quamquam in singulis pluribusve versibus retractatorem vel potius retractatores versatos esse nullo modo negabo.

Sub finem hujus commentationis de singulis nonnullis locis, qui mihi in relegenda fabula scrupulum moverunt, pauca addere liceat.

V. 113, quem jam supra tetigi, dicit Libanus domino:

„Quin te quoque ipsum facio haud magni, si hoc patro.“

quae additur conditio non solum inutilis et supervacanea, sed etiam sententiae et toti loco contraria videtur esse; nam quamvis anxie initio scenae servus se gesserit, tamen, postquam Demaenetus suum ei ostendit animum, tantam jam securitatem atque superbiam sibi sumpsit, ut v. 110 interroganti domino, ubi futurus sit, arroganter respondeat:

„ubiquomque lubitum erit animo meo.“

Neque quemquam se dehinc jam metuere in eis, qui sequuntur, versibus declaravit. Neglegenter hanc conditionem addidit poeta.

v. 162 respondet Cleereta adulescenti minanti se eam, ut merita sit, tractaturam esse:

„Magis istuc percipimus lingua dici quam factis fore.“

Unde hoc loco irrepit pluralis numerus verbi „percipimus“? Nam certe pro sua tantum loquitur persona lena neque filiam ullo alio loco ita sibi adjungit neque in eis, quae antecedunt, neque in eis, quae sequuntur.

v. 214 „Nunc neque quid velim neque nolim facitis magni, pessumae.“

Denuo includit Argyrippus amicam acerbis illis conviciis et opprobriis, quibus merito matrem ejus persequitur. Sane etiam antea v. 131 sqq. non solum lenae, sed etiam filiae minatus erat, sed revocavit et retractavit, quae dixerat, jam v. 146 sq. Neque revera tale quid mereri Philaenium per totam fabulam satis ostenditur, neque adulescens serio ei potest suscensere, quippe qui etiam vitam suam se ei largitur esse apertis verbis pronuntiet, cf. 609 sq.

V. 274 Leonidam audimus exclamantem:

„Aetatem velim servire, Libanum ut convenientiam modo.“

Quod cum clam exceptit Libanus, secum locutus illo non audiente respondet:

275 „Mea quidem hercle opera libertus numquam fies ocios.“

Sed cum oculis conservi se subtrahere pergit, ut diutius etiam furtim ejus verba audiatur, plane contrarium ei dicendum erat. Nam quo citius se obtulisset illi, eo citius festivum illius votum poterat sibi vindicare.

V. 380 „Volo seni narrare,“ nimis breviter atque abrupte dictum est, quamquam mercatore appropinquante festinandum esse servis post tot, quae antecesserunt, ambages non nego.

V. 561 Leonida collegae virtutes collaudans inserit: „ubi ero infidelis fueris“, Libanus vero v. 571 gratiam referens rectius et accuratius de eris loquitur: „Ubi eris damno et molestiae et dedecori saepe fueris“.

V. 200 pistoris commemorationem Plauto non convenire moneo, neque eum v. 481 scribere potuisse „vae te“, quem quidem versum recte cum toto hoc loco a v. 480 ad v. 484 cum Ussingio expulit editio Ritscheliana. Neque magis ferri potest, quod v. 903 legimus „dotatae uxori vitium dicere“, neque v. 932 „mores liberis largirier“.

V. 682 initium versus „inambulandumst“ non Libano dandum est, sed est Philaenii adulescentis adhortationi respondentis.

V. 688 „Enimvero utroque“ melius respondet interrogatori Philaenii v. 687, codicu[m] scriptura „utrumque“ ex altero „utrumque“ in eodem versu facile potuit irrepere.

V. 772 „tu bibas“ non recte se habet. Prorsus aliter in fine quarti, qui praecededit, versus „tu voces“ comparatum est. Neque enim vetatur amica bibere, immo eo, qui antecedit, versus „aeque potitet“ scriptum est. Itaque leni mutatione scribo „ut bibas“, quod in sensum bene quadrat, cum non de tribus rebus, accipiendo, propinando, bibendo sermo sit, quorum ultimum soli Diabolo tribuatur. Uterque et adulescens et amica „aeque potient“, quod denuo inculcatur v. 773: „Ne illa minus aut plus quam tu sapiat“.

V. 800 „Neque ulli verbo male dicat“.

Ita codices, sed quid sibi vult ulli? Cui potest maledicere lena, nisi aut Diabolo aut Philaenio? Itaque scriendum puto lenissima mutatione „ullo verbo.“

V. 887 „Censen tu illum hodie primum ire adsuetum esse in ganeum?“ Ut versui succurreret, Camerarius illum in illo mutare volebat, quod receperunt Ritscheliani editores. Sed ut versui satisfacit haec conjectura, ita sententiae repugnat. Nam quid est „primum ire assuetum esse“? Certe, qui primum it, non assuetus est, qui assuetus est, non primum it. Itaque, ut disjunctivam interrogationem restituamus, scriendum est:

„Censen tu illum hodie primum ire an assuetum esse in ganeum?“

V. 465 „Sit, non sit: non edepol scio, si is est, eum esse oportet.“

Prior pars scrupulum non movet. Mercator se nescire, utrum Libanus revera Saurea sit necne, pronuntiat. Sed quid sibi volunt: „si is est, eum esse oportet?“ Neque Richterus, neque Ussingius locum explanant, neque Gronoviana editio quidquam adnotavit. Item Schmiederi commentarius rem tacite transit. Unus quod sciām Weisius in editione sua ad v. II 4, 59 scribit: „Sic vulg. cuius qui sensus, non statim appetet; legitur tamen in omnibus libris. Fortasse leg. eum scisse aut scire. Nam videtur ludere in v. scio.“ Ribbeckius eum nosse conjectit. Sed primum ludere mercatorem nego, neque eum scisse aut scire aut nosse oportet sententiarum nexui congruit. Iam dixit initio versus mercator se de eo non scire, quomodo hoc loco addi potest oportet scire? Immo non id quidem oportet, sed aliam rem et postulat et semper postulavit: ipsum Demaenetum, quem noverit, adesse. Atque ejusmodi sententiae demum versus, qui sequitur, respondet:

„Ego certe me incerto scio hoc daturum nemini homini.“

Atque codicum scriptura ab hac sententia minus fere videtur abesse quam a scisse, scire, nosse Weisii Ribbeckiique. In v. eum erum latere puto et eis, quae praecedunt, litteris in v. testem mutatis scriendum propono:

„Sit, non sit non edepol scio, set testem erum esse oportet.“

„Ego certe me incerto scio hoc daturum nemini homini.“

Cf. Poenuli v. 708 „Ut ipsus testis sit sibi certissimus“, aliis locis testem dare laudare, testari, adesse invenimus apud Plautum.